caſtra pertulerunt. Reliquiæ ejus recuperato capite in ſepulchro avi uxoris locatæ ſunt. Et Julianus ſucceſſor illius, corpus ejus honorificentiſſimè funeravit, cùm per Senatum, & Populum in Deos eſſet relatus. Ludi dehinc Circenſes ei ſunt facti, & flamines creati, Helviani appellati. *Cuſp.*

Constantino Magno in ſuburbano Nicomediæ Accirone mortuo, Milites, qui cuſtodiæ corporis aſſiſtebant, abſciſſis veſtibus, humi corpora projecerunt, atque illiſis muro capitibus nullis queſtibus pepercerunt, quos in tali caſu ingens ſuggerere dolor poſſet. Quos præfecti, & centuriones, atque omnes ſubinde milites ſunt ſequuti, flebilibus vocibus identidem conſervatorem, cuſtodem, ac parentem ſe amiſiſſe teſtantes. Quin etiam cives, per urbem vagi, ac furentibus ſimiles, altiſſimis ejulatibus mœrorem ſuum, cujus magnitudinem capere non potuerant, ediderunt, reliqui dimiſſo vultu inceſſere tanquam attoniti, ſinguli præcipua ſe calamitate affectos quærentes, ac ſemet, tanquam tum demum omnibus humanæ vitæ ſpoliatos muneribus, deplorantes. Romæ nullus dolori, mœſtitiæque à Senatu, populòque modus eſt factus: nam & balnea occluſerunt, & foris, ac ludis abſtinuerunt, & omnino omnia, quæ proſperis, lætiſque temporibus celebrari ſolita erant, intermiſerunt. Cæterùm, ut ſe longè omnium miſerrimos, qui tanto Imperatore orbati eſſent, ſic ipſum beatiſſimum, judicabant, qui vitam tanta cum gloria terminaſſet. Itaque ad cæteros honores, quos illi habuerunt, hunc quoque præcipuè tribuere, quod pictis excolentes tabellis ipſum ſuper cœleſtes orbes in æthereo cœtu conſidentem fecere, & legatos ad Conſtantium F. deſtinarunt petentes, ut cadaver ejus ad ſe remitteret, atque urbem Romam clariſſimi, auguſtiſſimi Regis exequiis honeſtaret, *Sigonius lib.5. Imp, occid,*

Balduinus III. Hieroſolymorum Rex, ſeptem, & viginti natus annos, cùm mortem obiiſſet ſine ullis liberis, & à Berytho Hieroſolymas efferretur, quòd in ea urbe ſepeliri voluerat: non ejus regionis ſolùm Chriſtiani homines lachrymis ipſius mortem proſecuti ſunt, qui undique ſpectandi gratia ad viam, qua ferebatur, concurrebant, verùm etiam multi Turcę doloris ob eam mortem ſocios ſe præbuere. Quinetiam, cùm Noridanum Damaſcenorum Sultanum quidam monerent, præclaram occaſionem offerri, Chriſtianos homines, qui in Syria degebant, dum Rege carerent, atque in dolore verſarentur, opprimendi: mortui Regis virtute motus Noridanus reſpondit, Nullo modo ſe aſſenſurum, ut Chriſtiani vexarentur, donec juſto dolore defunctum bonum Regem ſuum proſequerentur: quem ejuſmodi eſſe dicebat, ut ei ſimilis in orbe reliquus nullus eſſet. *Fulgoſus lib.2.c.5.*

Ubi per vulgus fama mortis Henrici V. Anglorum Regis præſtantiſſimi perſuaſit, cuncti generatim ſubito dolore conciderunt: quibus ita mœror omnes fermè mentis partes ademit, ut more inſanientium, paſſim fortunam incuſarent, quę tantam gloriam patriæ invidiſſet. *Polyd.lib.22.*

Mortuo Gulielmo Scotorum Rege, Alexander II. filius ſucceſſor per integrum annum ludos, & convivia vetuit, & toto eo anno cum aulicis atratus inceſſit. *H. Boethius. lib.13.*

Boleslai primi Polonorum Regis morte univerſa Polonia, optimè merito Rege orbata, per annum totum in luctu fuit, ita ut neque convivia ulla, neque choreæ celebrarentur, neque cultioribus veſtibus quiſquam nobilium virorum aut feminarum ſeſe veſtiret. *Cromerus lib.13.*

Valdemaro Danorum Rege mortuo, exauditi ſunt Matrum miſerabiles planctus, ſparſis comis funeri occurrentium, iterùm ſe priſtinum ſervitutis onus experturas dicentium, extinctum illum, qui civium capitibus captivitatem detraxerit, qui patriam piratarum metu liberaverit, maritimaſque ſedes perinde, ac domeſticas à prædonum incurſu tutas præſtiterit. Agreſtes quoque funebris ipſius pompa conſpecta, ruſtico opere, quo occupati erant, relicto, conſentaneis arva querelis replebant. Cui etiam ut ſupremi officii decus præſtarent, funebri ejus lecto humeros ſubiicere jucundum ducebant, everſam Regis morte patriam, miſeriſque ſibi commune funus, aut ſi quid triſtius eſt, imminere, plangentes. Pro cujus ſpiritu Abſalon Lundenſis Archiepiſcopus vir toga, militiaque clariſſimus ſacra facturus inter ſolemnium verborum nuncupationem doloris impotens, non temperavit ſibi, quo minus aram lachrymis rigaret, vixque ad rem divinam peragendam vocis, aut manus miniſterio ſufficere valuit: quinetiam tantùm ægritudinis animo contraxit, tamque gravi, & periculoſa valetudine ſubitò affici cœpit, ut penè vitam cum ſacrificio finiret. *Saxo lib.15.*

Uladislaus Hungariæ, & Boemiæ Rex in apparatu nuptiarum ann.1458. mortuus Pragæ, regia pompa elatus eſt, tanto omnium ploratu, ejulatuque, ut totum templum D. Venceſlai lamentis, & planctibus perſonaret. Maxima pars immaturam inexpectatamque adoleſcentis adhuc Regis mortem deplorabant. Multos regni ipſius miſeratio ſubibat, quod deſtitutum certo hærede ad novas rurſus calamitates expoſitum cernebant. Advenæ verò omnes communem Reipublicæ Chriſtianæ fortunam, quaſi unà cum Ladislao concidiſſet, ante alia dolebant: ut qui cognitum haberent, tot, & tantos principes non tam ad ornandas ſua præſentia nuptias, quàm ad conſultandum de expeditione contra Turcas ſuſcipienda venturos fuiſſe. Eo die Pariſios legatio ad deducandam ſponſam ingreſſa eſt, antequam conſideret, repentino de Regis Pragæ mortui interitu tabellario admonetur. Quo nuncio conſternata, cùm clàm Carolo VII. Regi, generi necem indicaſſet, tanto Principem illum dolore correptum fuiſſe ajunt, ut neque reſponſum dare, neque illam triſtiſſimam abeuntem alloqui potuerit. *Bonfin. lib.8. Dec.3. & Dubrav.lib.29.*

Civium.

Antiochus, Syriæ Rex, occupata Hieroſolyma, civibus cæſis, templum profanaverat. Eam calamitatem Judæi luctu incredibili ſunt proſecuti. 1. *Macb.*1.

Tobias manducavit panem cum luctu, & tremore, corpus jugulati proximi ſui in domo habens, quod contra Regis edictum nocte ſepelire volebat. *Tobiæ* 2.

Judith Meraris F. quæ Holofernem Bethuliam obſidentem aſtu circumvenit, & necavit, mortuam univerſi Iſraelitæ ſeptem dies deplorarunt, & in Manaſſe viri ſui tumulo ſepeliverunt. *Judith.*16.

Bello contra Agathoclem Siracuſiorum tyrannum à Carthaginenſibus ſuſcepto, cùm univerſa claſſis Carthagine ſolviſſet, & altum tenuiſſet, coorta repentè tempeſtas ſexaginta triremes è medio ſuſtulit, & ducentas ex frumentariis navibus corrupit. Cætera claſſis magnis vexata tempeſtatibus ægrè in Siciliam evaſit. Perierunt illuſtrium Carthaginenſium non pauci, propter quod factum eſt, ut Urbs publicum luctum ſuſceperit. Nam ſoliti ſunt, ſi quando majus infortunium urbi contigit, nigris pannis mœnia tegere. *Diod. lib.*10.

Præceptorum.

Cùm M. Antoninus fleret educatorem ſuum mortuum, & adoleſcens ab aulicis miniſtris revocaretur à declaratione pietatis erga nutricium: Permittite, inquit Antoninus Verus Imp. priùs illi, ut homo ſit: neque enim, vel Philoſophia, vel imperium tollit affectus. *Julius Capitolinus.*

Amicorum.

Curaverunt Viri pii à Judæis lapidatum Stephanum, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. *Act.*8.

Hipparcho Euboico vita defuncto, Philippus Rex Macedonum præ ſe ferebat, quàm illius mortem acerbè ferret. Itaque cuidam volenti dolorem ipſius mitigare, dicentique: Attamen ille tempeſtivè deceſſit, jam natu grandis. Sibi quidem ipſi, inquit Philippus, tempeſtivè deceſſit, ſed mihi præproperè: mors enim illum anticipavit, priuſquam à me beneficium acceperit, noſtra dignum amicitia. *Eraſ. lib.4. Apoph.*

Ephestione, qui cùm Alexandro à pueris conjunctiſſimè vixerat, fato defuncto, Alexander mulis, & equis detonſis, finitimarum urbium pinnacula decuſſit, Glaucum medicum, quo abſente Epheſtio in theatro aſſam ex capro carnem ederat, hauſeratque pſycteris vinum, velut ejus mortis auctorem in crucem ſuſtulit. Tibias, & cætera inſtrumenta aliquandiù in caſtris carere vetuit, donec ex Hammonis Jovis oraculo divinos illi honores, ut Heroum uni indixit. Extulit eum Alexander, quod à fide propemodum abhorreret, decem talentorum millibus. Dein ad mitigandam doloris magnitudinem in Coſſeos movit, quorum puberes ad unum interfectos velut inferias defuncto dedit. *Sab. lib.6. Enn.4. ex Plut. Pelopida, & Æliano lib.7. Variæ hiſtoriæ.*

Sophocles, mortuo Euripide, atrata, & pulla tunica ſe induit, & ſine corona ſuas tragœdias actitari voluit. *Gyral. in 2. Tom. Hiſt. Poet.*

Robertus Bruſius, Scotorum regnum ingenti prælio contrà Eduardum II. Anglorum Regem victor, ſibi confirmaverat. Cæterùm cùm in eo conflictu Ægidium Argentinenſem Anglum virum amiciſſ. amiſiſſet, privati doloris majorem, quàm publici gaudii rationem habuit, ſic à nobilibus objurgaretur, quòd peregrini hominis luctu patriæ reviviſcentis gaudia turbaret. *H. Boethius lib.*14.

Hoſtium.

David Rex Saul, & Jonathan ejus filium in monte Gelboe cæſos deflevit. 2. *Reg.*1. Idem mortem Abner polemarchi, qui ab Isboſet Rege ad ſe defecerat, & à Jacob æmulo perfidè interemptus fuerat, indigniſſimè tulit, ita ut domum Joab diris fuerit inſecutus, & cùm ei propter potentiam nocere non poſſet, coegerit tamen, ut cum fratre Abiſæo laceratis veſtibus, & centone amictus, funus Abner præcederet, & lugeret. Ipſe Rex cum univerſo populo pheretrum ſecutus, ad ſepulchrum ingentem ploratum edidit, neque eo die cibum capere voluit. Qua re mirum in modum Iſraelitarum animos ſibi conciliavit. 2. *Regum.*3.

Alexander Magnus Darii à ſe victi uxorem Statyram ex partu ob continui itineris laborem periiſſe audiens, lachrymas emiſit: & ad tabernaculum, in quo defunctæ erat corpus, reverſus, familiariter cum matre Darii acerbum Reginæ caſum deploravit. Inde Siſimgamben, & filias conſolatus, magnificentiſſimo rerum apparatu eam funeravit. *Sabellicus lib.5. En.4.*

Agesilaus Laconum Rex, cum ex hoſtibus Corinthiis, & Athenienſibus ingentem numerum interiiſſe accepiſſet, graviter ingemiſcens: Heu, inquit, Græciam, quæ tot viros inteſtino bello perdidit, quot univerſis barbaris debellandis ſatis eſſe poterat. *Plut. in ejus vita.*

Romanę matronæ, ob inſignem pietatem à C. Martio Coriolano matri exhibitam, eum, quamvis hoſtem, & exulem, Antii lapidibus à Volſcorum plebe obrutum, menſes decem luxere, uti Brutum, & Poplicolam olim. *Sab.lib.2.En.9.*

C. Julius Cæſar victor in Ægyptum veniens, eum, qui caput Pompeii ſibi obtulit, ut deteſtabilem averſatus eſt. Annulum ejus accipiens illachrymavit: templum Indignationis ſtatuit eodem loco: Achillem interfectorem, & Pothinum eunuchum conſultorem interfecit. *Plut. in Pompejo.*

Augustus cognita M. Antonii morte ex Decreto ejus miniſtro, qui gladium, quo ſe Antonius percuſſerat, in caſtra detulit, in intimam tabernaculi partem conceſſit, ibique ubertim flevit mortem collegæ, & affinis ſui multarum rerum, bellorumque ſocii. *Sab.lib.9.En.6.ex Plut. Antonio.*

Joannis Huniadis morte per Gregorium Serviæ Deſpotum nunciata, Mahometus II. Turcarum Imp. totum penè diem mœſtus obmutuiſſe fertur, cùm mortem tanti viri, licet hoſtis, ob ſummam virtutem crudeliſſimus tyrannus doleret. *Cuſpin.*

Parentum.

Jacob Patriarcha in Ægypto mortuo, 40. dierum ſpacio cadaver ejus à medicis ſervis Joſeph filii conditum fuit. Id enim erat condituræ ſpacium apud Ægyptios. Eum Ægyptii 70. dies defleverunt. Quibus elapſis, obtinuit Joſeph à Pharaone, ut ſibi cum omnibus ſuis, omnibus Ægyptiis Senatoribus comitantibus, patrem in Chananeam in patrium ſepulchrum deferre, ibique ei juſta perſolvere liceret. Conceſſit Rex. Joſeph ergo cum maxima pompa patrem in patrio ſepulchro è regione Mambre condidit, & ibi luctum dierum ſeptem patri redintegravit, in Area Atad, qui locus poſteà ab hoc luctu Ægyptiorum noman habuit. *Gen.*50.

Q. Sertorius, cùm ad Imperium capeſſendum in Hiſpaniam vocaretur, nunciatis matris fatis, profudit penè ex mœrore vitam. Quippè diebus ſeptem neque ſignum militibus dedit, neque in ullius amici conſpectum prodiens jacebat humi. Vix tandem reliqui Imperatores, atque in pari gradu dignitatis poſiti, circumſiſtentes tabernaculum ejus, coegerunt eum in publicum progredi, & milites appellare, atque res proſperè fluentes capeſſere. *Plut. in ejus vita.*

Regnerus Danorum Rex, ab Hella Britannorum Rege victus, & ſerpentibus objectus, totius vitæ ſuæ curſum alta voce decantavit: tandem adjecit: Si ſucculæ veris ſupplicium ſcirent, haud dubiè perrupta hara opem ferrent. Hella id ad filios Regneri pertinere conjectatus, properè hominem liberari juſſit. Cæterùm priuſquam ſatellites accurrerent, veneno extinctus eſt. Ejus mortis nuncium Ivarus filius, dum fortè ludos inſpectaret, accepit, nihilominus vultum in eodem habitu continens, non ſolùm nunciatam parentis cladem doloris diſſimulatione ſuppreſſit, ſed & attonitum rumore populum è theatro diſcedere vetuit. Syvardus verò alter F. ſtupore attonitus, dum cogitabundus hæret, haſtile, quod manu geſtabat, pedi abſque ullo doloris ſenſu imprudens immiſit. At Biornus III. F. inter teſſerarum jactus delato ad ſe paternæ mortis nuncio, tanta vi correptum manu calculum preſſit, ut tabulæ quoque cruorem digitis extortum infunderet. Quod audiens Hella, Ivari conſtantiam reliquis duobus prætulit, & proinde eum, ut paternæ necis futurum vindicem non inani metu timere cœpit. Is enim claſſe Britanniam invadens, ſpacium arvi, quantum equino tergore complecti poſſet, in pacis pignus obtinuit: ſed corio in exiles corrigias ſciſſo oportunum ædificandæ urbi agrum complexus eſt. Intereà Syvardus, ac Bojornus, cum quadringentarum navium claſſe ſuperveniente bellum Regi intulere, captumque dorſo in aquilæ rapaciſſimę volucris figuram conſciſſo, inſperſo ſale crudeliter necavere. *Saxo lib.6.*

Liberorum.

Occiſis pueris per Herodem, Matres filios ſuos luxerunt, & impletum eſt, quod dictum eſt, per Hieremiam Prophetam: Vox in Rama audita eſt ploratus, & ululatus multus, &c. *Matth.*2.

Apud *Eurip.* in Supplicibus, Argivarum matrum chorus introducitur, deplorantium cæſos ſuos filios ad Thebas:

ἰὼ ἰώ, πῦ ἢ πόνος ἐμῶν τεκνῶν:
πῦ νυχευμάτων χάρις,
τροφαὶ τῆς ματρὸς, αὔπνατ᾽ ὀμμάτων τέλη,
κὴ φίλιαι προσβολαὶ προσώπων, Eheu, quò labor meorum filiorum, ubi pernoctantium gratia? & educationes matris, ſomnoque carentia oculorum miniſteria? & caræ applicationes vultuum: *Item.*

τί γὰρ ἂν μεῖζον τοῦδ᾽ ἔτι θνητοῖς
πάθος ἐξεύροις,
ἢ τέκνα θανόντ᾽ ἐπιδέ θαι. Quem majorem hoc inter homines dolorem invenies, quàm liberos mortuos aſpicere?

Νιόβης πάθη, id eſt, Niobes dolores, de maximis, & acerbiſſimis malis dicebatur. Niobe filia Tantali, uxor Amphionis, filios habebat ſex, totidem puellas. Eo ſucceſſu inſolens contempſit Latonam, quæ non niſi duorum mater eſſet, Apollinis, ac Dianæ. Hanc, fabulæ narrant, poſt occiſos liberos, præ dolore in ſaxum converſam fuiſſe, hoc eſt: immodico dolore diriguiſſe. Id ſaxum, quod fabulæ dedit occaſionem, in Sipylo Phrygiæ conſpici tradit Homeri Scholiaſtes, lachrymarum fontes emittens. *Ovidius Metam.lib.6.*

Olympias Alexandri marer, cùm audiſſet, longo tempore jam filium ſepulchro carere, graviter ingemiſcens, atque acerbiſſimè plorans: O fili, inquit, tu cùm in divorum numerum referri volueris, & id perficere ſummo ſtudio conatus ſis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale, & par jus eſt, particeps fieri potes, terræ, ſepulturæque, & ſic ſimul infortunium ſuum luxit, ſimul etiam faſtum, & inanem filii ſuperbiam taxavit. *Ælianus lib.13. Variæ hiſt.*

Solon profectus Miletum ad Thalem, mirum ſibi videri dicebat, quòd Thales nuptias, & ſobolis procreationem negligeret. Thales nil quidem in præſens reſpondit, at quendam ſubornavit peregrinum, qui modò decimo die ab Athenis profectum ſe diceret, quærentique Soloni, qui dibi novi eſſet? reſponderet: Nihil aliud, quàm quòd adoleſcens efferretur, filius clari viri, & virtute inter cives primi, longoque jam ſpatio peregrinantis Solonis, cujus funus tota proſecuta eſſet civitas. Tum Solon falſo metu exterritus cœpit caput cædere, aliàque & facere, & dicere, quæ mœrore oppreſſi ſolent. Tum Thales repreſſo Solone ridens dixit: At hæc me Solon à connubio deterruerunt, & à liberis tollendis, quæ te etiam infringunt virum conſtantiſſimum. Te verò hæc nil moveant: hæc enim ficta ſunt. *Plut. in Solone.*

Idem, cùm pòſt ob verè defunctum filium unicè lugeret, diceretur que ſibi à quopiam: At nil proficis, reſpondit: Et propter hoc ipſum lachrymor, quia nihil proficio. *Laert.lib.1.cap.3.*

Pericles, cùm animo infracto ſemper fuiſſet, amiſſo Paralo filio, magnitudine doloris victus, lachrymas uberes dedit: & ejulatus nunquam deſinentes. *Plut.*

Herodes Atticus, vir conſularis, cùm à Stoico reprehenderetur, quòd parum viriliter mortem pueri ferret, reſpondit, Affectus hi nobis à natura ſunt dati, ut in iis moderandis pulcherrima fortitudinis exempla edamus. Vos autem qui ἀπάθειαν inanem affectatis, occaſiones moderationi tollitis, ſimulque fortitudinis laudem omnem amittitis, quando ex homine ſtipitem, & truncum quendam ſenſus expertem facere conamini. *Gell.l.19.c.12.*

Solymanus II. Turcarum Sultanus, acerbè luxit obitum
A filii Mahometis Carameniæ dynaſtæ: ideò magnam ciborum copiam coqui curavit, & epulum funebre quibuſvis, tam pauperibus, quam oplentis, animæ filii cauſa præbuit. Multa quoque mancipia ſexus utriuſque ſuo redempta pretio libertate donavit, & monumentum filio magnificum extruxits. A.C. 1544. *H. Henninges in Geneal.*

Fratrum.

Cato Uticenſis, fratris Cæpionis, qui in Aſiatica peregrinatione Aeni in Thracia deceſſerat, mortem imbecillius, quàm pro Philoſopho tulit, non lamentationibus ſolùm, & cadaveris amplexibus, verùm etiam ſumptu funeris, & odorum magnificentia, & veſtibus precioſis, cum cadavere cremati. *Plut. in ejus vita.*

Selimus audita morte fratris Muſtaffæ, à patre Solymanno ſtrangulati, nuncium ſecuri percuſſit.

☞ *Vide Tit. Actus in aſtruendo imperio.*

Antiochus cognomento Hierax bello certabat de regno, cum fratre Seleuco. Qui ut profligatus à Gallis nuſquam apparuit, ſed putabatur trucidatus: poſita Antiochus purpura pallium pullum induit Brevi poſt allato eſſe incolumem fra-
B trem, ob lætum nuncium diis honorem habuit, civitateſque ſuæ ditionis ſumere juſſit coronas. *Plut. in Apopb.*

Isis cùm cognoviſſet Oſirim fratrem, atque maritum à Typhone fratre dolo cæſum, totondit extemplò comam, veſtemque lugubrem ſumpſit. Unde hac quoque memoria urbi nomen eſt Copto. *Plut. in Iſide.*

Conjugum.

Abraham Patriarcha luxit Saram uxorem defunctam, *Geneſis vigeſimo-ſeptimo*. Sic Iſaac Rebeccam, Jacob Rachelem.

Bacchius quidam Corinthius, Clytii Megarenſium Regis filiam uxorem duxerat. Ea defuncta Clytius complures virgines, & adoleſcentes Corinthum miſit, qui in funeralibus pompis puellam deporarent, lachrymis utique fictis. Hinc proverbium, Megarenſium lachrymæ. *Eraſ.*

Statyra Carii Perſarum Regis uxor ab Alexandro capta, cùm ex partu ob continui itineris laborem periiſſet: Tyrotes, ſive Tyreus, ex intimis eunuchis unus, nuncium mortis ejus Dario attulit. Is diù velato capite, manibus ad os reductis amantiſſimæ conjugis deflevit interitum. Inde manantibus ad-
C huc lachrymis, manus in cœlum tollens, deos patrios precatus dicitur, ut ſibi regnum ſtabilirent: vel ſi cadere neceſſe eſſet, hoſtem ipſum, qui tanta in ſuos uſus eſſet pietate, ſibi in regnum ſuccedere paterentur. *Sab. lib. 5. En. 4.*

Cleopatra Regina tumulato ſuis manibus M. Antonio, cùm intellexiſſet Cæſarem Auguſtum pedibus deceſſurum per Syriam, ipſam verò cum liberis ſtatuiſſe poſt triduum in Italiam mittere: Cæſarem oravit, ut ſibi inferias dare permitteret Antonio. Annuente illo, ubi ad monumentum eſt perlata, incumbens cum mulieribus familiaribus in tumulum: Nuper te, inquit, liberis adhuc manibus, chare Antoni, funeravi: nunc parento captiva, & cuſtodita, ne planctibus, & lamentationibus ſugillem ſervile hoc corpus, quod ad triumphum de te ſervatur. Alios honores, vel juſta ne expectaveris, verùm hæc tibi à Cleopatra, quæ abducitur, ſunt noviſſima. Vivos nos nihil diſtraxit. Nunc verò morte videmur commutaturi loca: ut Romanus hìc jaceas, infelix ego in Italia, hactenus modò patriæ particeps tuæ. At ſi quid iſtic numina valent & poſſunt (nam noſtrates nos dii prodidere) noli deſerere vi-
D vam tuam conjugem, neque permittere me in triumphum duci de te: ſed hìc me tecum abde, & conde. Nam mihi ex infinitis malis nihil tam grave, vel acerbum eſt, quàm breve hoc tempus, quod te ſine vixit. His editis lamentis poſtquam coronas, & oſcula tumulo tulit, præcepit ſibi parari balneum. Lota accubuit, & ſplendidè eſt epulata. Inde allatam in ciſta aſpidem ſub ficubus latentem admittens, lenites expiravit. *Plutarch. in Antonio.*

Herodes Atticus Sophiſta, amiſſa uxore, totam domum atro veſtierat panno. Ejus puerum radiculas albas lavantem videns alius: Et quæ hæc ſuperſtitio, inquit, nigra veſtiri, albo veſci? *Philoſtratus.*

Manuel Comnenus Imp. Friderunæ ſive Irenes Alemannæ, Berengarii de Sultzbach Comitis F. conjugis ſuæ mortemnon ſecus, ac membrum è ſuo corpore avulſum accerbiſſimè deploravit: juſtiſque perſolutis, in paterno monaſterio Pantocratoris magnificentiſſimè ſepeliit, & luctus tempore,
E quod ipſe ſibi finierat, inſtar ſemianimis, & dimidiati hominis exacto, ſecundas nuptias ſpectavit, maſculæ prolis (quam ex hac ob execrationem Coſmæ Patriarchæ Attici, injuſtè ſede pulſi non ſuſcepit) cupiditate. *Nicetas lib. 3. de rebus Manuelis.*

Uladislaus Hungariæ, & Boemiæ Rex, Annæ uxoris ex puerperio defunctæ mortem impotenter luxit, pullo habitu, barba, & capillis promiſſis, & incultis; quoad tandem proceres hac una ratione luctum ei exemerunt, Ludovico puero, licèt præter morem coronato. *Dubravius lib. 32.*

Apud Turcas in civitate Chubdan lex eſt, ut mortuum præfectum ejus conjuges perpetuò lugeant, neque unquam à ſepulchro diſcedant, pulla veſte indutæ, & capite novacula raſo. *Nicephor. lib. 18. c. 30.*

Dominorum.

Apud Romanos in exequiis illud obſervatum eſt, ut ſi qui ſervi ab eo, qui jam efferebatur, manumiſſi, aut libertate donati eſſent, illi præcipuè, qui fide inſigni à domino cogniti forent, herilem interitum miſerantes, pleni lachrymarum, elatum corpus præcederent pileati, aut alba lana capitibus velatis. Qui quantò plures erant, tantò plus nominis, laudiſque dabant. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.*
F

Brutorum.

☞ *Conſule Tit. Sepulchra brutorum, quatenus dominorum mœroris ſunt argumenta. Vide Inſcriptio. Item Loco de Canibus.*

Cyparisso tantus fuit in cervam amor, ut ea mortua, præ dolore quoque expirarit.

Ex prælio cum Poro commiſſo Bucephalus equus mortuus eſt, non extemplò, ſed pòſt, ut plerique produnt, ſub vulnerum curatione: ut Oneſicritus eſt auctor, ob ſenium labore confectus: nam triginta annorum ætate ait eum deceſſiſſe: Mortem ejus tulit Alexander Magnus graviter, non aliter exiſtimans, quàm ſi familiarem, & amicum amiſiſſet. In memoriam ejus ſuper Hydaſpem condidit urbem, quam appellavit Bucephaliam. Ferunt canem quoque eum, Peritam nomine, alitum ab ipſo, atque in deliciis habitum amiſiſſe, urbemque erèxiſſe ei cognominem. Id Sotion de Potamone ſe Lesbio narrat audiviſſe. *Plut. in Alexandri vita.*

Hortensius orator amavit murænam, quam atratus multos dies flevit.

Antonia Druſi murænam adeò dilexit, ut ei inaures, & monilia addiderit, & cum lachrymis funerarit.

L. Crassus vir cenſorius, orator diſertiſſimus, & civis G
clariſſimus, murænam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus tanquam filiam luxit: & de eo etiam cenſor gloriatus eſt, pietatis hoc officium fuiſſe dictitans, quando Cn. Domitius collega hoc ei in Senatu objecit. *Macrobius lib. 3. c. 15. Sat.*

Romæ fuit corvus, qui humano ſermoni aſſuefactus, omnibus horis matutinis evolans in Roſtra, Tiberium, Germanicum, & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum ſalutabat. Quem cùm poſteà neſcio quis ira percitus occidiſſet, à Populo, factum ægrè ferente, ſaxis obrutus eſt, funuſque aliti innumeris celebratum exequiis. *Plin. 43. cap. libri* 10.

TEMPORIS, QUAMDIU.

Apud Judæos luctus triginta diebus finiebatur. Id quod apud Anglos quoque ſervatur. *Polydorus.*

Ethnicorum moris erat, diebus novem mortuos flere: un- H
de & Novendialium ſacrorum nata conſuetudo. Ex qua & Cattam Meſſalinum quandoque coargutum legimus, quòd cum die natali Auguſtæ inter Sacerdotes epularetur, Novendialem eam cœnam dixiſſet, ceu leſſum planè tunc foret factum. *Cælius lib. 17. c. 21. A. L.*

Lycurgus Lacedæmoniis luctum modico definivit tempore, undecim diebus: duodecimo ſacrificare oportebat Cereri, & deſinere luctum. *Plut. in Lycurgo.*

Numa Rom. Rex, luctum certis ætatibus, & temporibus finivit: ut puerum trimulo minorem ne quis lugeat, majorem ne plures menſes, quàm ille annos vixit, uſque ad decem: nullam ætatem ultra. Longiſſimam luctus diem decem menſibus terminavit: non ut ſicut inquit *Seneca. lib. Ep. 7.* tamdiù feminæ lugerent, ſed ne diutius. Quod ſpacium viduis quoque abſtinendi à morte viri præfinitum eſt à ſecundis nuptiis. Quæ antè nupſiſſet, ea bovem fœtam illius lege immolabat. *Plut.*
A *in Numa Ovid. 1. Faſt.*

Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Apud Romanos luctus, & mœror privatus intra lugendi tempora ob plurimas minuebatur cauſas: ut ſi liberi naſcerentur: ſi pater aut filius, frater aut vir ab hoſtibus capti reverteriſſent: aut cùm propior affinis, quàm qui lugeretur, domi natus foret: vel ſi puella dabatur nuptui. Publicus verò, ſi luſtrum fieret, aut vota ſolverentur, vel ſacra Cereris inſtarent. His enim caſibus domum, aut familiam in ſqualore eſſe, nequaquam decebat. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.* Accepta Cannenſi clade triginta dierum ſpacio ob Cereris ſacra finitus eſt, ex Senatuſconſulto. *Livius lib. 4. Decad. 4. Val. Max. lib. 1. cap. 1.* Item poſt Cannenſem cladem ob multorum cædem, & ſacrorum Cereris neglectum. *Livius lib. 2. Dec. 3.*

M. Antonius Philoſophus Imp. ne ultra quinque dies lugerent Romani filium ſibi morte ſublatum, ſummæ ſpei adoleſcentem, edicto inhibuit. *Alex. lib. 3. c. 7.*

B Germani olim in funere lamenta, & lacrymas citò abſtergebant, in dolore, & triſtitia permanebant diutius: feminis tantùm lugere permiſſum, viris meminiſſe ſolùm. *Sabellicus lib. 2. Enn. 6. ex Tacito.*

Veſtitum lugubrem omnes penè gentes Chriſtianæ annum integrum induunt: interdum tamen ante illud tempus deponunt, propter publicum gaudium, vel magiſtratus ineundi honorem, aut nuptias faciendas. *Polydorus lib. 6. cap. 9. de Invent.*

MODI QUOMODO.

Judæi lugentes induebant ſaccum. Sic Jacob flevit Joſeph, & David operto capite Abſalonem. Item caput, barbamque radebant. Unde illud Jſaiæ: In cunctis capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. *Polyd. de Invent.*

Cùm quis regum decidit è vita, Ægyptii omnes mortem communi mœſtitia lugent, veſtes lacerant, templis clauſis forum non frequentant, feſta ſolemnia non agunt, dies ſeptuaginta duos luto deturpantes capita: ac ſindone ſubtus mammas cincti unà viri, mulieresque ducenti fermè, aut trecenti circumambulant, bis in die, novantes luctum, atque ad numerum, cum cantu virtutes Regis commemorantes. Cibis animantium, coctiſque, ac vino, omnique menſæ apparatu abſtinent. Non lavacris, non unguentis, non ſtra-
C tis lectis, non venereis utuntur: ſed tanquam defuncto filio, per eos dies mœrentes lugent. At quibuſcunque domi aliquis deceſſit homo alicujus pretii, ibi omnis mulieris ſexus familia caput ſibi, & vultum oblinit luto. Deinde relicto domi cadavere, ipſæ per urbem vagantes plangunt, ſuccinctæ, nudatis mamillis, & cum eis proximæ quæque: altera ex parte viri & ipſi ſe verberant. His actis, ita demum ad condiendum portant. *Herod. lib. 2. & Diod. lib. 1. cap. 6. & 8.*

Apud Veteres non legitimè ſepultus putabatur, quem non flerent ſui. Hom. Iliad. Ψ. πάτροκλον κλαίωμεν. & Odiſſ. δ. κλαίειν ὀσκεθάνησι. Terentius: In ignem poſita eſt, fletur. *Brodeus in 1. Epigramm.*

Apud Græcos convenit, in luctu viros comas alere, barbam, capillumque ſummittere, mulieres verò tonſis crinibus eſſe, quem morem à Romanis uſurpatum legimus, ut ſorores, defunctis fratribus, & matres filiis orbatæ, in acerbo funeris luctu, cum flebili vociferatione detonſos crines corpori imponerent: qui mos antiquiſſimus uſque ab Homero traditur, apud quem Patrocli cadaver opertum amicorum capillis ſuperjectis fuit: & Achilles flavam comam in defuncti Patrocli funere manibus ſecuit. Quippè ea lugenti aptiſſima pu-
D tantur, quæ indecora, nec uſitata ſunt. Macedonibus aſſuetum erat, ut crines tonſi, defunctos lugeant. Namque Archelaus Macedoniæ Rex, Euripidem tragicum, intimum familiarem, crinem tonſus luxit. In quo facetiſſimum illud Bionis proditur, perinde lugentes capillum evellere, quaſi calvitio mœror lavaretur. Carthaginenſes in luctu comas, & ora lacerant, & ubera plangunt. Idem Græcis in uſu fuit, ut in luctu capillum manu diſcindant, & comas radant. *Alexand. lib. 3. cap. 7.*

Plato lib. 3. de Legibus ſeptimo, mentionem facit Cariçæ muſæ, quam interpretatur ἐπικηδίαν ᾠδὴν, id eſt, Lugubrem cantionem. Heſychius indicat, ad pompas funebres conduci ſolitas è Caria feminas, Carinas dictas, quæ lamentantium perſonam agerent, Alexandriæ obolis conducuntur, qui mor-
E tuos fleant: quod munus ſollicitè adeò, ac planè præſtant, uti ad eos pertinere funus putes: ii ergo ab re vocantur Threnodi. *Cælius lib. 17. cap. 21. A. L. & Eraſmus.*

Apud Rom. præficæ diebantur mulieres in hoc conductæ, ut in funere lamentarentur, ac defuncti laudes prædicarent, aliſque plorandi modum præirent: unde & præficæ dictæ ſunt quaſi præfectæ. *Lucilius, citante Nonio:*

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillo ſcindunt, & clamant magis,
Id imitatus eſt *Horatius:*
Ut quæ conductæ plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.

Nonnunquam Romani etiam mimos; qui perſonas affingerent, ac facta, dictaque repræſentarent, adhibebant. Quas quidem nænias Græcia in luctu ſæpè decantari invenimus, qui apio coronati, defuncti laudes recenſere carmine, quod Jalemon vocant, & res memoratu dignas claro præconio celebrare aſſuerant. Senatoribus verò, & patritiis, atque ſummis ducibus, tuba: minoribus, & plebeiis, exequiali tibia canebant tibicines. Quam tibiam non in funeribus modò, ſed in ſacris, in ludis, & conviviis adhibebant, Imperatoribus etiam pluribus tubis mœſtum clangentibus: quod à Caribus, & Phœnicibus deductum autumant, qui in funebri pompa F
brevibus tibiis lugubre canentibus, uti conſuevere. *Alex. lib. 3. cap. 7.*

Cic. lib. 2. de Legibus, ex legibus XII. Tabularum de ſumptu, & lamentis funerum hæc affert: Mulier genas ne carpito (alii legunt, radito, præſertim Plinius libro undecimo, capite trigeſimoſeptimo) neve leſſum funeris ergo habeto. Sext. Ælius Pætus vocem leſſum ſe non intelligere affirmavit. C. Lælius lugubrem ejulationem, aut tale aliquid ſignificari putavit. At Joan Heroldus ab Hercule Tyrio ſive Tarentino, Jovis, & Aſteriæ F. qui apud Celtas inter Rhenum, & Danubium diù vixit, & LI. annis ante captam Trojam in Latium venit, Cacoque tyranno inteſecto ab Evandro hoſpitio ſuſceptus fuit, ſuperſtitiones tum alias, tum etiam quibus in funere uterentur, invectas ſuſpicatur: quas deinde Numa partim reprobarit, partim approbarit, leges verò è Græcia per X. viros antiquarint. Inter eas autem ceremonias à barbara gente acceptas fuiſſe, & has, ut genas raderent mulierculæ, hoc eſt, unguibus faciem dilaniarent, & leſſum facerent, id eſt, ſanguinem è vena mitterent, doloris teſtandi ergò: id quod Germani patria voce dicunt, *Ein Jaſſis thum, oder baben*: & Itali etiamnum hodie, à Gothis, vel Longobardis mutuati, Salaſſar, & far Salaſſo. In G
ſacris prohibet Moyſes Iſraelitis carnes incidere ſuper mortuo, & ſtigmata inurere. *Levitici 19.* Sed & 3. *Reg. 18.* Sacerdotes Baalis ad eliciendum Deum, ut ſui miſereretur, gladiolis brevibus venas ſibi inciderunt. Quinetiam in caſtris Romanorum in uſu fuit, ut militibus ignavis, & deſertoribus, ſanguis è brachio mitteretur. Plautus certè in Truculento leſſi meminit, ſub lenæ perſona, inquiens: Thetis quoque etiam lamentando leſſum facit filio, ubi leſſo quid ſimile Dinarchum adoleſcentem feciſſe, ſequentia arguunt verba. Hunc ergo morem barbarum, per Italiam, atque Græciam in Palæſtinam uſque propagatum, Solon imprimis in ſuis Axionibus, & inde mutuati Decemuiri legibus XII. Tabularum abrogarunt, ut Germanis potiùs, quàm Athenienſibus, & Romanis convenientem. Nam vel Tacito teſte, Germanorum feminis luctus ſemper fuit honeſtus, cùm aliàs, tum præſertim occiſis in bello maritis. Id quod ad Aquas Sextias Cymbrorum mulieres ſatis oſtenderunt. Ergo ut maritorum fatum quadantenus æmularentur, ſanguinem & ipſæ tum genis fœdatis, tum venis phlebotomo inciſis profundebant. Præter id quòd ſanguinis aſpectus cædem factam in memoriam revocat, & dolorem conſopitum re- H
crudeſcere facit.

Veſtitus lugubris, recepto apud omnes ferè gentes more, partim albus eſt, partim niger. An fortè cauſa ſubeſt communis, à natura parente humanæ menti inſita, ita quidem, ut nigredo corruptionis corporeæ nota ſit: albedo verò animi, à corporis ergaſtulo ſoluti, ſplendorem denotet? Amiculum nigellum, dicitur à Varrone veſtitus lugubris, quod anthracinum vocabant: ἄνθραξ enim Græcè carbo appellatur. *Polyd. de Invent.*

Ab Varrone proditum, & Catone eſt, Rom. olim in funeribus uti conſueſſe tum nigro, tum cæruleo colore: nam in adoleſcentum morte cæruleum adhibere ſolemne fuit. *Cælius lib. 17. c. 21. Antiq. Lect.*

Pellibus veſtiri ſolebant Romani diebus luctus: & qui fu- A nus facerent, cujuſque cura, & procuratio funeris erat, prętextam pullam induebant. Matronæ purpuram, aurumque deponebant, atraſque veſtes induebant, nec illa reſumebant, donec illud eluxiſſent. Viri autem ſenatorii laticlavum, & annulos aureos exuentes, pullas veſtes ſumebant, barbam, capillumque ſubmittebant. Iidem poſteaquam defuncti nomen deploraſſent, & ter viva aqua cadaver aſperſiſſent, omni munere abſoluto, ſupremum Salve, & Vale, tanquam nunquam eos viſuri ultrà, conclamabant, & poſteà ilicet omnes clamabant, qua voce populum miſſum faciebant. Pineas, & cupreſſos veluti ferales arbores, & Diti ſacras, in lugubri domo Patritiorum, amiſſis fratribus, liberis, & propinquis, apponere mos erat. Græcis verò funeſti, & qui exequias duxiſſent, lapide Lesbio extructas domos incolebant, quòd ſubtriſti eſſet aſpectu. *Alex. lib.3. c.7.*

Apud Rom. in luctu feminæ albas veſtes, teſte Plutarcho in Problematis, induebant, idemque propinqui factitabant, ut quemadmodum mortui corpus, albis veſtibus velarentur. Alba autem veſte idcirco cadaver exornabant, quia ſolus albus color ſincerus, ac purus, minimèque inquinatus eſt, & ob id mortuis aptiſſimus. Sic in Evangelio legimus corpus Do- B mini ſindone involutum fuiſſe, quo vocabulo lineum velum ſignificatur. Hinc arbitror natum, ut hodie Reginæ Francorum poſt mortem viri, albis tantùm induantur veſtibus: & ſi qua vidua ſit, Regina alba vocetur. *Polyd. lib.6. cap.9. de rerum Inuent.*

Mulieres proxima affinitate, in veſte candida, & capite aperto, ritu Romano ejulantes funus celebrabant. Filii verò tecto capite, in veſte pulla parentes efferre conſueverant. Apud Græcos feminæ, virique in candida veſte, cum coronis, ampliſſimi viri exequias proſequuntur, & velut in publico luctu complorant promiſcuè. Syracuſani candido amictu velati, & fronde coronati, Timoleontem extulere, cui perpetuos honores, atque in foro ſepulcrum decrevere. Sicyonii Aratum in veſte alba, & coronis ſepulcro intulere.

Argivi quoque in luctu albas veſtes aqua ablutas induunt, & in candido amictu funus comitantur, Mileſii eraſis capitibus plangere conſueverunt: qui mox apud Barbaros inolevit frequens, ut in funere, & caſibus adverſis, juvenes tonderent comam, barbam ipſi ponerent, & uxorum capita deglabrarent. Perſæ quoque detonſis conjugibus, & liberis, lacera veſte, lugubri ululatu, corpora efferebant: & in funere clatorum C virorum ſeipſos, equos & jumenta tondebant. Sic ob Maſiſtii necem, præfecti equitum Perſarum, ad Platæas cæſi, ſemetipſos, equos, muloſque totonderunt, ejulatuque & planctu campum compleverunt: quòd virum amiſiſſent ſecundùm ipſum Mardonium virtute, & auctoritate longè primùm. *Plut. in Ariſtide, & Herod. lib.9.*

Seculo quinto poſt Chriſtum, Chriſtiani in luctu quoſdam peculiares geſtus adhibuerunt: & expreſsè dixit Chryſoſtomus cruentaſſe eos brachia, ſcidiſſe capillos, laniaſſe genas, brachia nudaſſe, & nigris ſe veſtibus obvelaſſe. Quod ipſum etiam valdè reprehendit: ac dicit, ſe quidem non prohibere mortuos lugere: ſed impudenter lugere, nec lacrymari ſuper defunctum, id improbandum eſſe: *Homil.61. in 11. cap. Joan. item in Exhort. morali, ſerm.3. in 1. ad Philippenſ. c.* Eum quoque morem, quòd aliqui mulieres lugentes conduxerint (quæ ratio haud dubiè ab Ethnicis ſumpta eſt) acerbè reprehendit: graviter minatur, ſe ejuſmodi ab Eccleſia prohibiturum: in 1. *ad Hebr. cap. Homil.4.*

OB SENECTUTEM.

D Theognis Megarenſis de ſeipſo ebrio hæc ſcribit:

εἰ πίομαι, πενίης θυμοφθόρου ὀ μελεδαίνω,
οὐδ' ἀνδρῶν ἐχθρῶν, οἵ με λέγουσι, κακῶς.
ἀλλ' ἥβην ἐρατὴν ὀλοφύρομαι, ἥ μ' ἐπιλείπει.
κλαίω δ' ἀργαλέον γῆρας ἐπερχόμενον.

Inter pocula paupertatem animi corruptricem non curo: neque inimicos, qui mihi dicunt malè, ſed adoleſcentiam amabilem lamentor, quæ relinquit: lugeo autem moleſtam ſenectutem inſtantem.

OB PUDORIS JACTURAM.

Ceres Neptuni inſidias vitare volens, in equam ſe convertit: ſed ad Oncium inter armenta paſcens, nihilominus ab ipſo compreſſa eſt, equi formam aſſumente. Id illa graviſſimè ferens furere cœpit, quod Arcades ἐρίννειν dicunt, ac nigram veſtem ſumpſit, & cùm in ſpecum ſe abdidiſſet, diù lucem vitavit. Ibi cùm omnes fructus terræ corrumperentur, & homines paſſim peſte perirent; vix tandem Parcis deprecantibus pla- E cari potuit. *Nat. Comes Myth. lib.3. c.11. Pauſan. in Arcad.*

OB ADVERSAM PUGNAM, CLADEM.

XERXIS Regis claſſe à Græcis ad Salamina profligata, nuncius Suſa perlatus ita Perſas conſternavit, ut univerſi veſtes dilaniarent, vociferationeque, & ejulatu irrequieto uterentur, culpam in Mardonium refundentes, non tam de claſſe, quàm de ipſo Xerxe ſolliciti: idque tamdiù, dum Xerxes illos ita affectos redeundo ſedavit. *Herod. lib.8.*

L. Poſthumio Coſſ. cum exercitu in Latina ſylva arborum ruina oppreſſo, cladis hujus nuncius tantum civibus pavorem intulit, ut Romæ illicò clauſæ ſint tabernæ, eratque velut nocturnum in urbe ſilentium; cùm ædilibus datum eſt negotium, ut tabernas aperiri juberent, ſpeciemque publicè mœſtitiæ demerent urbi. Et T. Sempronius conſul deſignatus patres in curia conſolatus eſt, hortatuſque, ut qui Cannenſi cladi non ſuccubuiſſent, ne ad minora damna animum demitterent, adnitendum totis viribus, ut Hannibalis conatibus iretur obviàm. De Gallis in deorum poteſtate, ac populus Rom. F fore, ut aliquando præſentem cladem ulciſcerentur. *Sabellic. lib.3. Enn.5.*

Cannenſi clade Romam nunciata, Senatu properè in curiam evocato, præ nimio ſtrepitu, & clamore nè conſuli quidem potuit. Data opera, ut per patres inter ſe id munus partitos, mulieres, quæ omnia planctu, & ejulatu complebant, ex publico arcerentur: ſingulæ intra ſua limina ſuum nuncium expectarent: compreſſoque tumultu, & trepidatione ſilentium fieret tota urbe, cuſtodes ad portas ponerentur, qui prohiberent quenquam egredi. Jam cùm litteræ à Varrone conſule allatæ ſignificarunt Æmylium conſulem, & exercitum cæſum, evaſiſſe ſe reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem, ad x. millia, & ampliùs incompoſitorum circa ſeſe eſſe, tum privatæ clades domeſticatim vulgatæ. Qui luctus adeò totam urbem complevit, ut ſacrum Cereris ſit eo anno intermiſſum, quoniam lugentes religione prohiberentur. *Livius.*

NERO audita defectione Galliarum, caput ipſe ſuum præ G doloris impotentia diverberavit. *Suet.*

Bello Neapolitano, victis ad Carilianum Gallis à Ferdinando rege, ann.1503. acceptæ cladis nuncii, ob eorum, qui perierant multitudinem, & præcipuè ob tot nobilium virorum amiſſionem totum Galliæ regnum lachrymis, & planctibus repleverunt: ex quo regia univerſa, & veſtitu, & multis aliis doloris ſignis, mœrore, & afflictatione plena conſpiciebatur: & per totum regnum virorum, ac mulierum, cum diem, quo primùm infauſta imperii in Italia adipiſcendi cupiditas, regum ſuorum, quaſi tanto imperio, quod poſſidebant, contenti non eſſent, animos invaſit, execrantium voces audiebantur: in primis verò regis Ludovici XII. animus tam nobilis regni unquam recuperandi deſperatione, & tanta exiſtimationis auctoritatiſque ſuæ diminutione vehementer augebatur. Quare vociferationibus cœlum implens, efficaciſſimo etiam ſacramento addito, ſe, poſtquam ſuorummet tam negligentem, & perfidam operam eſſet expertus, nullum ampliùs bellum ducibus ſuis commiſſurum, ſed ſeipſum ad omnia præſentem futurum confirmabat. *Guic. lib.6.*

OB MILITUM CONTUMACIAM, ignaviam.

ALEXANDER Magnus, renuentibus militibus ulteriorem. In- H diam petere, præ mœrore tabernaculo incluſus, abjecit ſe in terram, pœnitens rerum geſtarum, quaſi pro confeſſione, victum ſe eſſe habebat, reditum vix tandem amici, & milites cum ſtrepitu, & planctu ſupplices eum mollivere. *Plutarch. in Alexandro.*

SCIPIO Africanus junior, cùm apud Numantiam milites luxuria diffluere, ac deliciis comperiſſet: ſagum fibula ſubſtrictum, ac pullum geſtans, exercitum luſtrabat, ſubmurmurans identidem, ob militum ignominiam eſſe ſe in luctu. *Plutarch. in Apopb.*

OB DIGNITATEM, Magiſtratum collatum.

Gregorius *Magnus libro 1. Epiſtol. cap.5. ad Theoctiſiam Imperat.* ſcribens, ſeriò conqueritur, ſe è monaſterio ad pontificatum promotum eſſe: inter cætera & hæc: ſub colore Epiſcopatus, ad ſeculum ſum reductus, in quo tantis terræ cu- A ris inſervio, quantis me in vita laica nequaquam deſerviſſe reminiſcor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, aſcendiſſe exterius videor. Unde me à facie conditoris mei longè expulſum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri: cuncta phantaſmata corporis ab oculis mentis abigere, & ſuperna gaudia incorporaliter videre: & non ſolùm vocibus, ſed medullis cordis ad Dei ſpeciem anhelans dicebam: Tibi dixi cor meum, quæſivi vultum tuum: &, Vultum tuum, Domine, requiram. Item: Contemplativæ vitæ pulchritudinem, velut Rachelem dilexi, ſterilem, ſed videntem, ac pulchram, quæ etſi per quietem ſuam minus generat, lucem tamen ſubtilius videt. Sed quo judicio, neſcio, Lia fœcunda, ſed lippa, minus videns quamvis ampliùs pariens, Sedere ad ædes Domini, cum Maria feſtinavi, verba oris ejus percipere, & ecce cum Martha compellor in exterioribus miniſtrare, & erga multa ſatagere. Expulſa à me, ut credidi, legione dæmonum, volui oblviſci, quos novi, ad ſalvatoris pedes quieſcere: & ecce mihi nolenti, atque compulſo dicitur: Revertere in domum tuam, & annuncia quanta tibi fecerit Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracu- B la prædicare, cùm jam mihi difficilè ſit ſaltem recolere?

OB IMPERII AMISSIONEM.

SAMNIETUS, vel Pſammenitus Ægyptiorum Rex captus, Cambyſis juſſu, cum omnibus ejus gentis prioribus in ſuburbano loco conſtitutus, memorabile doloris edidit exemplum. Miſſa eſt ejus filia ſervili habitu cum pleriſque nobilium puellarum aquatum: ut ſi in ſordido miniſterio à patre conſpiceretur, is ſuper cæteras calamitates majore adhuc dolore conficeretur. Quæ ubi in ſuorum conſpectum venere, mutuo aſpectu miſerabilis inter virgines, parenteſque orta eſt comploratio: unus omnium Samnietus filiam intuitus, immoto ſtetiſſe vultu dicitur: Inde filius ad ſupplicium, cum pleriſque æqualium miſſus, cæterorum fletu, & lamentatione, ex ipſius conſpectu abſtractus, pari vultus conſtantia eum dicitur proſecutus. Accidit interim, ut in amicorum quendam oculos conjecerit, qui ex præclara nuper fortuna, multiſque divitiis penè nudus circuibat milites, cibum mendicans: Tum verò neque à lacrymis temperavit ampliùs, neque aperta lamentatione abſtinuit. Has intempeſtivas lachrymas Cambyſes demiratus (aderant enim, qui omnia illi, quæ fiebant nunciarent) C miſit, qui ab Samnieto ſciſcitaretur, quid eſſet, quòd cum liberorum calamitatem tam pulchrè pertuliſſet, ut ne lachrymam quidem in eorum malis emiſerit, contrà ad unius mendici aſpectum in fletum prorupiſſet? Cui ajunt ab eo reſponſum, ut diceret, domeſtica mala multò majora fuiſſe, quàm ut à ſe fleri poſſent: amici fortunam dignam ſibi viſam, quam fletu, & lacrymis, quando aliter opem ferre non poſſet, proſequeretur. Crœſus, & alii primores, qui cum Cambyſe erant ad eam vocem propriæ fortunæ admoniti, nequiverunt & ipſi fletu abſtinere, tetigitque ſubita commiſeratio victoris animum, ut confeſtim miſerit, qui Samnieti filio parci juberent. Sed ſerum fuit imperium, perierat adoleſcens, cum nuncius à Rege affluit. Ipſum Regem, quod præſtare potuit, non ſolùm ſervatum voluit, ſed penes ſe quoque in honore habuit, donec res novas molientem, taurino ſanguine epoto, ad mortem compulit. *Sab. lib.7. Enn.2. ex Herod. lib.3.*

OB URBIS EXCIDIUM.

Mileto à Perſis capta, Athenienſes tam moleſtè Mileſio- D rum cladem tulerunt, ut univerſum theatrum illacrymaſſe dicatur, cum Mileſia Phrynichi direptio acta eſt, ob idque auctor ipſe mille drachmis, ut Calliſtenes prodidit, eſt mulctatus, quia velut domeſticum vulnus refricuiſſet. *Sab. l.8. Enn.2.*

Bello tertio Punico, cùm Rom. punica fide Carthaginenſes CCC. primùm obſidibus, mox etiam armis univerſis exuiſſent, tandem quod urbem tradere juſſerunt evertendam, aliamque novam decem millia paſſuum procul à mari, ubicunque libuiſſet, condere. Tum Carthaginenſes omnes legati unà manibus ad cœlum ſublatis, multa apertè Romanis mala imprecari, à quibus tam perfidè fuiſſent decepti. Inde in terram provoluti manibus capita contundunt. Alii ſibi veſtes laniant, quidam manum ſibi inferre conati ſunt, velut inſania quadam ſtimulante. Poſtremò ab ea conflictatione quieſcentes, velut defuncti vita, humi proſtrati jacuerunt, raras, & miſerabiles voces interim emittentes, filios, uxores, patriam, deos ipſos, quos ipſi piè coluiſſent, miſerabili modo invocantes. Admoniti conſules humanæ fragilitatis, miſericordia, & ſtu- E pore preſſi, ſine voce aliquandiù ſtetere, nec circumfuſa multitudo lachrymis temperare potuit. Legati mœſto ſilentio urbem ingreſſi continuò multitudinem metu, & terrore perculerunt. Multis amicorum ſciſcitantibus, cùm ne vox ulla quidem redderetur, multa cum trepidatione in curiam diſcurritur. Ubi ad primam mandatorum relationem tantus eſt à patribus clamor exortus, ut plebs, quæ ante curiam ſtabat, ægrè à foribus remoliendis abſtineret. Mox verò edocta, quæ eſſent Romanorum poſtulata, velut ſubito furore correpti, alii aliò dilabuntur. Mirabilis comploratio in publico, & privato orta, ſævuſque matronarum planctus. Aliæ cum fletu, & lamentatione templa ſubeunt, diis invidiam facturæ. Aliæ parvos natos complexæ illorum ſortem lamentari, quorum ortus in ea tempora incidiſſent, everſa patria in exilio victuri forent. Quædam penates deos, & lares, quos caſtè coluiſſent, velut ingratos incuſare. Viri ita dolore perciti clauſis portis muros conſenderunt, cum ipſa patria perituri, pro cataptultis ſaxa congeſſerunt. Senatus omnia prius extrema perferenda cenſuit, quàm urbem ad excidium tradendam. Bellum itaque decretum, miſſuſque ad Aſdrubalem nuncius, urbe pulſum, ut publicæ injuriæ oblitus, F patriæ extremo tempore auxilium referret. *Sabellicus lib.8. Enn.5.*

Solebant Judæi quotannis eo die, quo Hieroſolyma capta eſt, eò venire, & deſolationem ubis deplorare. *Hieronymus in 1. cap. Soph.* Legamus Joſephum, & prophetiam Sophoniæ, illius cernimus hiſtoriam. Et hoc non tantùm de captivitate dicendum eſt, ſed uſque ad præſentem diem perfidi coloni poſt interfectionem ſervorum, & ad extremum filii Dei, excepto planctu prohibentur ingredi Hieruſalem: & ut ruinam ſuæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas. Et ne fletus quidem eis gratuitus ſit, videas in die quo capta eſt à Romanis, & diruta Hieruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis anniſque obſitos, in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes, congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, ac radiante ἀναστάσει ejus de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo plangere ruinas templi ſui populum miſerum: & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, livida brachia, & ſparſi crines: & miles mercedem poſtulat, ut illis flere plus liceat: & dubitat aliquis, cùm hæc videat, de die tribulationis, & anguſtiæ, de die calamitatis, & miſeriæ, de die tenebrarum, & caliginis, de die nebulæ, & turbinis, de die tubæ, & clan- G goris? Habent enim in luctu tubas: & juxta prophetam, vox ſolemnitatis verſa eſt in planctum. Ululant ſuper cineres ſanctuarii, & ſuper altare deſtructum, & ſuper civitates quondam munitas, & ſuper excelſos angulos templi, de quibus quondam Jacobum fratrem Domini præcipitarunt.

Venetiis nunciata Clodiæ expugnatione (quod circiter mediam noctem cognitum eſt, cùm ea ſub Solis occaſum hoſtis potitus eſſet) tantus terror curiam invaſit, ut ubi primùm illuxit, ſubitò ſit ad arma conclamatum. Quo ſigno conſternata civitas, cum armis in forum accurrit. Compleverat multitudo civium quidquid areæ ante curiam, & auream ædem jacet. Tum juſſu Patrum nunciatum populo, Clodiam cum præſidio amiſſam. Ad quam vocem tantus fletus coortus dicitur, tanta lamentatio, ut capta urbe major oriri non potuiſſet. Vidiſſes tum matronas per urbem, præ nimio dolore dejectas, nunc manus ad cœlum tendere, nunc pugnis pectora pulſare: viri invicem publicam lamentari fortunam; actum eſſe de republica, actum de imperio dicere: dolere om- H nes privatam fortunam, ſed libertatis periculum in primis animo verſare: credere vulgò, Genuenſem victorem paulò poſt affuturum, qui everſo imperio Venetum quoque nomen everteret. Quiſque pro ſe perditis rebus privatæ fortunæ conſulere aurum, gemmas, argentum, veſtes, omnemque pretioſam ſupellectilem, aut ad hoſpites in ſuburbana loca mittere, aut in ſacris ædibus, antiquiſve monumentis condere: omnia luctus, & pavoris erant plena. Crediderunt multi, ſi in ea trepidatione hoſtium claſſis fuiſſet ad urbem admota (quod, ut Genuenſes facerent, Franciſcus Carrarius princeps identidem capta Clodia monuerat) aut urbem eo die capi, aut certè in ſummum diſcrimen adduci potuiſſet. *Sabellicus lib.6. Decad.1.*

TAMERLANES Sebaſtia urbe regia capta, Orthobulem Bajazetis Turcarum Imp. F. præfectum Sebaſtiæ occidit. Urbis miſerabili

ſerabili excidio ſic affectus eſt Bajazetes, ut iter faciens, cùm A videret paſtorem quendam tibia canentem diceret: Cane cantilenam, cujus argumentum ſit: Neque Sebaſtiam amittas, nec filium Orthobulem ſit. *Chalcocondylas lib.3.*

OB EXCIDIUM AMICORUM, Sociorum.

Sibaritæ, qui Laon, & Cyrdno incolebant, haud parem Mileſiis excidium paſſis gratiam retulerunt, qui Sybari à Crotoniatis direpta, cùm Mileſii puberes in argumentum doloris ob mutuum hoſpitium ſibi capita raſiſſent, ipſo in tanto Mileſiorum malo, nullum triſtitiæ indicium præbuerunt. *Sabellicus lib.8. Enn.2.*

OB JACTURAM, ET AMISSIONEM rerum pretioſarum.

Heli ſacerdos, nimia in filios indulgentia, malè agentes remiſsè mollitèrque corripiens, Deum offenderat: & tamen cùm illos tam tenera amplexaretur pietate, à Philiſthæis interfectos audiens, ſatis æquo animo tulit. Poſtquam autem & arcam Domini ſimul captam fuiſſe intellexit; impatiens doloris, de ſede corruit: & quia nonagenarius jam erat, eo lapſu colB liſus expiravit: oſtendens, quanto ſibi gravius erat præſentia Domini, quam arca exhibebat, quàm liberis, (quamvis cariſſimis,) orbari. *Marulus, & Sab. lib.5.c.1.*

Iſraelitæ capta arca Domini à Paleſtinis, eaqua poſt ſeptem menſes ad Bethſamitas remiſſa, cùm ex Bethſamitis, qui eam irreverenter attrectarant, atque viderant, 5070. periiſſent, & Cariathiarimenſes eam Gabaam in domum Abinadab intuliſſent, totis illis 20. annis, quibus eo in loco arca fuit, luxerunt, cùm non auderent eam Siluntem, ubi priùs fuerat, reportare, veriti divinam ultionem. David rex tandem eam in ſuam civitatem intulit. 1. *Reg.7.*

Oniæ ſanctiſſimi Pontificis, ſacerdotum, viduarum, & pupillorum maximus fuit luctus, quando Heliodorus quæſtor regius ſacras pecunias per vim auferre voluit. Preces illorum à Domino exauditæ, & Heliodorus graviter ab Angelo mulctatus abiit. ☞ *Vide tit. pœna ſacrilegii.*

OB EXAUCTORATIONEM.

Argyraſpidæ, & veterani Macedones ob ſeditionem ab Alexandro Magno exauctorati, tantum dolorem ex hoc facinore concepere, ut mœſti, & flentes ante tabernaculum ejus ſeſe abjecerint, nec niſi reconciliato principe vivere voluerint. C *Plutarchus in Alexandro.*

OB AMORIS ALIENATIONEM. Mœror Zelotypus.

Acheloum Ætoliæ fluvium Hercule cum Dejanira uxore Oenei Regis F. tranſituro, Neſſus Centaurus ultrò operam ſuam obtulit traiiciendæ Dejaniræ, eamque vitiare conatus, ab Hercule ſagittis hydræ veneno infectis transfigitur. Vindictæ cupidus, ſuam veſtem ſanguine, ac veneno illo perfuſam, ſanguinemque in vaſculum collectum ex vulnere Dejaniræ tradidit: dicens illis, vim ineſſe amatoriam, & veſte illa indutum maritum non facilè amaturum pellices. Mox cùm Hercules Oechalia ſubacta, raptaque Jole ad Cenæum Eubœæ promontorium appuliſſet, Licham ſervum ad Dejaniram miſit, qui adventum ſuum ipſi nunciaret. Dejanira ſuſpectos amores Joles habens, veſtem Neſſi, tanquam antidotum amoris, ad Herculem miſit. Quam indutus, & furore correptus, cùm tantos cruciatus præferre non poſſet, ſe in pyram in monte Oeta ultro conjecit. Id cùm cognoviſſet Dejanira, ſua ipſius manu ſuſpendio vitam finiit. *Natalis Comes Mythol. lib.7.c.1.*

D Theodosio juniori Imp. dono datum erat inuſitatæ magnitudinis pomum: cujus pulchritudinem admiratus, & magnitudinem, Eudoxiæ uxori miſit. Illa hoc Paulino, ob egregiam eloquentiam ſibi familiariſſimo, Paulinus Regi. Theodoſius ergo, à Regina percontatur, Quid cum pomo egiſſet. Illa ſe comediſſe reſpondit: timens ne ſuſpicionem ſiniſtram Imperator conciperet, cùmque illa iterùm juramento affirmaret, aliquantiſper commotus palam id protulit. In manifeſto itaque deprehenſa mendacio, ſuſpicionem Imperatori auxit: qui ob id Paulinum interfici juſſit, & animum ab uxore alienavit. Illa Hieroſolymam abiens, templa illic extruxit, magnaſque & pauperibus, & religioſis eleemoſynas largita eſt; mortuo interim marito. *Zonaras.*

Tempore Andronici junioris Imper. Scythiſſa quædam Chriſtianæ religioni favens, quendam è Thraciis captivis emit, eique nupſit: atque intra anni ſpacium binos liberos ex eo ſuſtulit. Hoc rerum ſtatu, altero anno etiam prior mariti Uxor captiva adducitur. Qua ille conſpecta illacrymavit. Scythiſ- E ſa mulierem emit, ut & domeſtica miniſteria obiret, & marito dolorem conſpectu ſui mitigaret. Profecta inde Scytiſſa Conſtantinopolim, prior uxor coram Patriarcha eam accuſavit, quaſi maritum ſibi præripuiſſet. Cæterum cum illa rem geſtam ordine explicaſſet, & nemo eam reprehendere poſſet, ipſa hanc ſententiam tulit: Ut uxor prior ſoluto precio redemptionis, cum marito ſuo abiret. Quod cùm hinc inde illa colligeret, ſubita incurſione Scytharum denuò captiva eſt abducta. *Gregoras lib.10.*

Simultates inter Uladiſlaum Jagellonem Regem Polonorum, & Heduigim Reginam, Gnevoſſii Delevicii delationibus excitatæ fuerant: cùm ille abſente Rege, Guilielmum Auſtrium (cujus nuptias ante Jagellonem expetiverat) ſecretò Cracoviam veniſſe diceret. Sed jurejurando Regina Regi ſatisfecit. *Cromerus lib.15.*

OB EXILIUM.

Demosthenes ob accepta ab Harpalo munera, urbe profugiens, cùm in cives adverſarios incidiſſet, quæſivit latebras. Cæterùm illis nomine eum compellantibus, & viaticum inſuper ſubminiſtraturos proteſtantibus, in majorem erupit lamentationem, ac dixit: Me miſerum, talem qui reliqui urbem, ta- F les habens inimicos, quales non promptum ſit invenire in alia amicos? Æginæ, & Trœzene ferè ſedens Atticam lacrymis oppletus reſpectabat. Urbe excedens, porrectis ad arcem manibus dixit: O domina Minerva, quid beſtiis tribus deterrimis delectaris, noctua, dracone, & populo. *Plutarchus in Demoſthene.*

OB CONDEMNATIONEM.

Olim Rei ſolebant eſſe mœſti, ſqualidique, ac lugentibus ſimiles, quo judices ad miſericordiam inflecterent. Hinc illud *Plautinum in Aſinaria.*

Quem videam æquè mœſtum eſſe, ut quaſi dies dicta ſi ſiet. Eraſmus in Adagiis.

OB CONTEMPTUM, IGNOMINIAM.

Dionysius Siciliæ tyrannus in Olympiacam panegyrim præſtantiſſimos voce hiſtriones, ejus decantaturos apud populum poemata miſit. Qui primùm quidem propter vocis ſuæ præſtantiam in magnam admirationem adjutores addixerunt: mox verò poematum vanitate cognita, non ſine magno riſu deſpectui haberi cœperunt. Quo Dionyſius poematum ſuo- G rum contemptu audito: in magnam incidit triſtitiam, qua magis, ac magis aucta, tandem furor quoque animum ejus invaſit, ita ut omnes ſuos amicos, tanquam inſidias ſibi ſtruentes, ſuſpectos habere inciperet; poſtremò in eum proceſſit mœrorem, & dementiam, ut ex amicis ſuis multos, efficta aliqua cauſa, occideret, nec paucos in exilium mitteret. *Diod. lib.15.*

MOEROR NULLUS OB EA, QUÆ digna ſunt mœrore.

☞ *Ex Titulo Tolerantiæ malorum quolibet exempla petantur.*

OB MORTEM MORTUI NON DEFLETI. Luctus nullus pro mortuo.

In genere.

Thracia natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat, ſine ullis doctorum præceptis vitæ noſtræ fra- H gilitatem indicans *Valer. Max. lib.2. cap.1. Mela lib.2. Solinus cap.17. Herod. in Terpſichore* Thrauſos Thraciæ populos, hoc factitaſſe tradit. Juxta Zenobium Cæſiæ, vel ſecundùm Nicolaum Cauſiani natos fletu excipiunt, defunctos beatos ducunt. *Strabo, lib.11. ex Euripide.* Caucaſianis, τοῖς περὶ τὸν Καύκασον, νόμιμον εἶναι ait, τὸν φῦντα θρηνεῖν, τὸν δ᾽ ἂν θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον, χαίροντας καὶ εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων *Brodeus in Archiæ* epigramma tale:

> Θρήϊκας αἰνείτω τις, ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
> μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
> ἔμπαλι δ᾽ ὀλβίζουσιν, ὅσους αἰῶνα λιπόντας
> ἀπροϊδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
> οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ παντοῖα πέρωσιν
> ἐς κακά, τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

Lycii, cùm iis luctus incidit, muliebrem veſtem induunt, ut deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum proiicere mœrorem velint. *Val. Max. lib.2.c.1.*

Libyci eos, qui vel ab elephantis, vel in venationibus, vel A in præliis interfecti ſunt, honorificis ſepulturis proſequuntur, hymnoſque in honorem eorum cantant. Eſt autem hoc argumentum hymnorum, ut dicant eos ſe fortes viros præbuiſſe, qui tantæ beſtiæ reluctari veriti non ſint. Dicunt enim glorioſè vitam cum morte commutaſſe, id demum monumentum eſſe laudatiſſimum ei, quæ terræ mandatur. *Ælian. de Hiſt. lib.12.*

Eſſedonum traditur mos, ut parentum funera cantibus proſequantur: mox cœtibus propinquorum advocatis (quod dictu, & auditu fœdum eſt) ipſis cadaveribus, immiſtis ovilis carnibus veſcantur. *Alex. ab Alex. lib.3.c.2.*

Cimbri, & Celtiberi, ſi qui in acie mortem oppetunt, gaudio exultant: ſi autem morbo affecti decedunt, in ſqualore, & luctu ſunt. *Alex. ab Alex. lib.3.c.3.*

Apud Locrenſes luctu mortuos proſequi vetitum eſt: ſed poſtquam elatum eſt funus, convivia agitant. *Heraclides in Politiis.*

In Coorum Inſula viri, neque veſtium permutatione, neque capillorum raſura vita defunctos lugere ſolent: matri veB rò, mortuo juvene, ad lugendum annus datur. *Idem.*

In Thera, una ex Cycladibus, ſervatum legimus, ut pueri citra ſeptennium, aut homines ultra quinquageſimum annum indefleti eſſent, ſi morerentur; quod illi rapti immaturo funere vix primum vitæ limen attigiſſent, iſti autem ſatis diù vixiſſent. *Alex. lib.3.c.3.*

Duæ ante portas Maſſilienſium arcæ jacent, altera qua liberorum, altera qua ſervorum corpora ad ſepulturæ locum plauſtro devehuntur, ſine lamentatione, ſine planctu, ſine luctu: funeris dies domeſtico ſacrificio, adiectoque neceſſariorum convivio finitur. Etenim quid attinet humano dolori indulgere, ac divino numini invidiam fieri, quòd immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit? *Valerius Maximus lib.2. c.1.*

Solon lacerationes plangentium, ploratum excitantia, & ejulatum in alienorum funeribus ſuſtulit. Parentare bove interdixit, vel ampliùs tres veſtes cum mortuo condere: ad aliena monumenta niſi in juſtis exequiarum accedere. *Plut. in Solone.*

Pro liberis.

C Græci infantibus ſuis extinctis inferias non dant, neque alia juſta faciunt, quæ apparet alios defunctis præſtare. Quippe commercium cum terra, aut cum terrenis habent nullum; neque hic apud tumulos, & monumenta, & libamenta mortuorum libenter verſantur, & aſſident corporibus. Neque enim tantulos legere leges, quaſi nefas ſit, permittunt, cùm ad meliorem, & diviniorem ſortem ſimul, & ſedem demigraverint. *Plut. in Conſol. ad uxorem.*

Q. Fabius Max. filio conſulari, & L. Paulus duobus paucis diebus amiſſis, & M. Cato mortuo prætore deſignato filio non luxerunt. M. quoque Bibulus conſul, cum toto conſulatu domi detuliſſet, quo die de obitu duorum filiorum certior fuit, in ſenatum venit, & munus conſulare obivit. Quod de Anaxagora, & Xenophonte traditur, & Aſinio Pollione, qui quo die filium amiſit, in convivio luxit. *Alex. lib.3. c. 7.*

Pro Uxoribus.

L. Crassus cùm piſcinis maximè delectaretur, muræṇamque mortuam atratus plures dies tanquam filiam lugeret, D probroque ei daretur à Cn. Domitio collega: Nimirùm, reſpondit Craſſus fateor me ita pium eſſe, ut minima de cauſa plorem. At tu, qui tres extuliſti uxores, minimè ploras. *Macrobius, & Ælianus. Plutar. de Util. ex inimicis.*

Pro Damnatis.

Tiberius Cæſar interdixit, ne capite damnatos Propinqui lugerent. *Suetonius.*

OB AMORIS ALIENATIONEM Zelotypia nulla.

Theseus Antiopam Amazonem rapuerat. Hujus amore captus Solon itineris comes, cùm ardorem ſuum celaret alios, uni ex familiaribus eum detexit. Ut Antiopam ille hac de re appellavit, repulit eum acriter: prudenter tamen, & leniter tulit, neque ad Theſea detulit. Soloon abſciſſa ſpe in amnem quendam ſe abjecit, & interiit. Theſeus cauſa cognita, rem tulit graviter, monituſque oraculo Delphico, urbem ibi conditam à Dei nomine Pythopolim nuncupavit, atque in honorem adoleſcentis propinquum flumen Soloonta vocavit. *Plut. in Theſeo.* E

Colophonius quidam adoleſcens juxta Bacchidem meretricem Samiam Plangonem Mileſiam amare cœpit. Plangon, ut juvenem ab amore Bacchidis diverteret, poſtulavit monile Bacchidis precioſiſſimum, Bacchis amatori monile conceſſit. Cùm verò cognoviſſet Plagon, Bacchidem ab invidia eſſe alienam, ſuum illi monile remiſit. Itaque communem, dum vixerunt, habuerunt amaſium. Et Plagon in poſterum Paſiphilla dicta eſt Jonibus. *Athenæus lib. 13. c.13.*

Constantinus Monomachus mortua ſecunda uxore, & ducta Zoe vidua Michaelis Paphlagonis, ſimul etiam Habraæ nepti ex fratre uxoris ſuæ convixit; primùm quidem clàm, poſtea verò palàm, ſine rubore: idque permittente Zoe Regina, ob ingraveſcentem ætatem decrepita. Sæpè inter ambas in medio prandebat Imperator, quandoque dominam, quandoque Reginam vocabat. Nec Zoe Imperatorem adiit ſola, niſi eam abeſſe certò ſciret. *Cuſpinianus in Conſtantino.*

Zoe Conſtantini VII. Imp. filia, jam quinquagenaria, Romano Argyropilo nupſit, quem Theodora ſoror junior reſ- F puebat. A quo cùm propter ſterilitatem negligeretur, impotente præſertim propter ætatem, Michaelem juvenem elegantiſſimum adamavit, eundem, ut inter Regis camerarios cooptaretur, effecit, ſæpè Regis pedes fricare juſſus. Sunt qui credant Regem haud ignarum fuiſſe hujus amoris, cæterùm diſſimulaſſe, quò ipſe ab hoc onere ſenex jam liber eſſet, neve uxor deinceps tam apertè mœcharetur. *Cuſpinianus.*

Hiſpana quædam nobilis matrona, cùm maritum haberet amore alienæ uxoris captum, itaque ad illam magno cum metu fratrum illi inſidiantium quotidie videret: Tu, inquit, mi vir, ab amore iſto illicito divelli non potes, nec ego abs te id contendo: ſolùm oro, ne cum tanto vitæ tuæ diſcrimine ames. Illa ſe velle ſequi te ait, duc in arcem tuam: ego ipſi hanc ædium partem cedam inſtructiſſimam, in aliam migrabo, ac dabo tibi fidem, non aliter me illam habituram, quàm ſi ſoror mihi eſſet germana: ſi quid ſecus ſenſeris, tu me potiùs domo pellito, illam retineto. Perſuaſit marito, & nocte quidam pellicem in arcem intulit, vehementer trepidam, ac metuentem uxorem amatoris, quæ illam blandiſſimè, & humaniſſimè exceptam, in ſuis cubiculis collocavit, nec aliter appellavit, G quàm ſororem, viſitque eam bis quotidiè, tractarique juſſit accuratiùs, & delicatiùs, quàm ſemetipſam, abſque ulla, vel in verbis, vel in factis odii ſignificatione: Nunc (inquit) marite tutiùs amabis, & ſecuriùs fruere. Poſt annum maritus ad uxorem pellice longè formoſiorem totus converſus, amicam cœpit capitaliter odiſſe: & ea pulſa, tantùm amorem ad uxorem tranſtulit, ut in ea ſe animum, vitam, ſpiritum ſuum ſitum eſſe prædicaret. *Vives in Chriſtiana fœmina lib.2.* ſibi matronam illam notam fuiſſe affirmat.

Lituanorum ſi matronæ palàm concubinos habent, virorum permiſſu, quos connubii vocant adjutores: contra pellicatus viris probro datur. *Fulg. lib.2. c. 1. Sab. lib.4. Enn.10.*

Sigismundus Imp. Barbaram, Hermanni Comitis Ciliæ F. uxorem libidinoſiſſimam, ex qua unicam filiam Elizabetham genuit, uxorem Alberti II. Regis Rom. ſæpiſſimè in adulterio deprehendit. Sed adulter adulteræ ignovit, quia & ipſe crebrò alienos violavit thoros. *Cuſpinianus.*

OB REPULSAM.

H Hippuclides Athenienſis Tiſandri filius cum multis aliis juvenibus Cliſtenis Sicyonii filiam ambiebat. Verùm cùm Cliſthenes procos toto anno probaret, & Hippoclides in convivio indecoram quandam ſaltationem edidiſſet, ſublatis in altum pedibus, pater offenſus inhoneſto juvenis luſu, ait ὦ παῖ Τισάνδρου ἀπορχήσαό γε μὲν τὸν γάμον: id eſt, Fili Tiſandri, à nuptiis tua ſaltatione excidiſti: At ille protinus reſpondit οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ: id eſt, Haud curat Hippoclides. Ea vox, ut teſtatur *Herodotus*, in proverbium abiit.

OB CONDEMNATIONEM.

Socrates, cùm Athenienſium ſcelerata dementia triſtem de capite ejus ſententiam tuliſſet, fortique animo, & conſtanti vultu potionem veneni è manu carnificis accepiſſet, admoto jam labris poculo, uxori Xantippe inter fletum, & lamentationem vociferanti, innocentem eum perimi: Quid inquit, innocenti mihi mori ſatiùs eſſe duxiſti? *Val. lib.7.c.2.*